

tuta, cum vestro iudice vos uti permittam; partiumque introitus portus civitatis de extraneis duas partes Rex habeat, tertiam vero comes civitatis, etc. Datum anno 1199.

Farlati. Illyricum Sacrum Tom. III. pag. 5. — Katona Tom. IV. pag. 87. — Fejér. Codex Dipl. Regni Hung. T. II. pag. 375.

XXXIV.

Anno 1200.

Andreas, Dalmatiae et Croatiae Dux, agrum Dub, in suburbio Sibenicensi situm Ecclesiae SS. Cosmae et Damiani regio jure donat.

In nomine S. Trinitatis et iudivduae Unitatis. Andreas Dei gratia Dalmatiae, Croatiae, Chulmiaeque Dux in perpetuum. Quum antiquorum veterum prudentia, salubriter cogitans et providens in futurum, pia devotione sanxerit, ut quidquid beneficiorum in praesenti impenditur monasteriis, virisque religiosis, ad salutem et remedium indubitanter transire debeat animarum, et divini refrigerii locum capere non dubitetur; piis instanter pulsati precibus Abbatis et fratrum de Monasterio SS. Cosmae et Damiani, dedimus terram Ecclesiae S. Grisogoni, quae est sita in suburbio Sibenig, ad duo aratra, excolendam et perpetuo possidendam. Terra autem vocatur Dub, ab arbore ibidem exorta. Praedictam itaque capelam S. Grisogoni a civibus praedicti castri fundatam et eorundem voluntate praefato monasterio traditam, adeo volumus esse liberam, ut nemini liceat ab ea exigere quidquam ex debito, nec in decimis, nec in aliis, salvo duntaxat jure et honore dioecesani Episcopi; nos autem ipsi sumus tutores et defensores ejus. Sed quoniam memoriae novercatur oblitio; oblivionis enim ortus est memoriae defectus, ne hujus nostri facti series fuligine vetustatis caligetur, scripto commendari jussimus; ut autem firmitus robur obtineat, Sigilli nostri impressione communivimus. Datum per manus Jacobi Praepositi, Magistri nostri et Cancellarii, Anno Dominicae Incarnationis MCC. Prestaldus autem Comes Domaldus. Jobagionum vero nomina, qui tunc aderant, et huic nostro facto testimonium perhibuerant, haec sunt: Bernardus Spalatinus Archi-Episcopus; Nicolaus, Jadertinus Archielectus; Georgius, Tiniensis Episcopus; Mog Comes; Nicolaus Banus, etc.

Farlati. Illyr. Sacr. T. IV. p. 8. — Katona T. IV. p. 592 sq. — Fejér. Codex Dipl. R. Hung. vol. II. p. 375.